



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae**

**Johann Hugo <Trier, Erzbischof>**

**Mogvntiae, 1688**

De exequiis parvulorum, & ordo earum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)



## DE EXEQUIIS PARVULORUM.

**P**arvuli, qui post baptismum ante usum rationis eripiuntur, oratione Ecclesiæ non indigent; quia nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Jesu, & non secundum carnem ambulârunt: & sicut injuriam faceret Martyri, qui pro Martyre oraret; ita innocentia baptismali injurius esset, si quis eis salutis requiem precaretur, qui innocentes, immaculati, puri, ac Deo dilecti, effecti sunt cohæredes Christi, ita ut nihil profuse eos ab ingressu cæli remoretur. Quia tamen horum corpusculis, tanquam organis, & vasis, sanctus infusus fuit Spiritus; etiam illorum funera officiosâ sunt pietate curanda, in protestationem fidei, resurrectionis, & ad laudem divinæ providentiæ, sub qua & ista regeneratorum corpora requiescere creduntur.

## ORDO sepeliendi Parvulos.

**C**um igitur infans, vel puer baptizatus, defunctus fuerit ante ulum rationis, imponitur ei corona de floribus, seu de herbis aromaticis & odoriferis, in signum integritatis carnis, & virginitatis, & Parochus, superpelliceo & stolâ albâ indutus, præcedente cruce, accedit ad domum defuncti cum ministro aspersorium deferente. Sacerdos aspergit corpus; deinde processio funeralis versûs coemeterium dirigitur incipiente Parocho sequentem Antiphonam, & mox intonante Psalmum Laudate pueri &c. cum pausis & mora inter versus singulos, & si absolvatur Psalmus, antequam ad coemeterium pervenerit funus, potest in via repeti, qui in coemeterio finitur, subjunctâ Antiphonâ: Sit nomen Domini &c.



Antiph. Sit nomen Domini Euoua e

Psalmus 112.

**L**audate pueri Dominum: \* laudate nomen Domini.

Sic



**S**it nomen Domini benedictum: \* ex hoc nunc,  
& usque in sæculum.

**A** Solis ortu usque ad occasum, \* laudabile no-  
men Domini.

**E**xcellsus super omnes gentes Dominus, \* & su-  
per cœlos gloria ejus.

**Q**uis sicut Dominus Deus noster, qui in altis  
habitat, \* & humilia respicit in cælo & in terra.

**S**uscitans à terra inopem, \* & de stercore eri-  
gens pauperem.

**U**t collocet eum cum Principibus: \* cum princi-  
pibus populi sui.

**Q**ui habitare facit sterilem in domo, \* matrem  
filiorum lætantem.

**G**loria Patri &c.



**Antiph.** **S**it nomen Domini benedictum ex hoc



nunc & usque in sæculum.

*Postea dicitur:*

**K** yrie eleison. **C** hriste eleison. **K** yrie eleison.

**P** ater noster.

**V.** Et ne nos inducas in tentationem.

**R.** Sed libera nos à malo,

*i.* Me



✠. Me autem propter innocentiam suscepisti.

✠. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

✠. Dominus vobiscum.

Oremus.

Omnipotens, & mitissime Deus, qui omnibus parvulis, renatis fonte baptismatis, dum migrant à sæculo, sine ullis eorum meritis, vitam illicò largiris æternam, sicut animæ hujus parvuli hodie credimus te fecisse: fac nos, quæsumus Domine, per intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis & omnium Sanctorum tuorum, hîc purificatis tibi mentibus famulari, & in paradiso cum beatis parvulis perenniter sociari. Per Christum Dominum nostrum.

✠. Amen.

Tunc funus imponitur tumulo, aspergitur, & thurificatur, & cum pala superinicitur terra à Pastore dicendo.

De terra palmasisti me, & carne vestisti me, Redemptor meus resuscita me.

Dein tumulatur, sub qua tumulatione Antiphona & sequens Psalmus intonantur.



Juvenes & virgines Euouae.

Laudate Dominum de cœlis: ✠ laudate eum in excelsis.

Q

Lau-



**L**audate eum omnes Angeli ejus: \* laudate eum omnes virtutes ejus.

**L**audate eum sol & luna: \* laudate eum omnes stellæ & lumen.

**L**audate eum coeli coelorum: \* & aquæ omnes quæ super coelos sunt, laudent nomen Domini.

**Q**uia ipse dixit, & facta sunt: \* ipse mandavit, & creata sunt.

**S**tatuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: \* præceptum posuit, & non præteribit.

**L**audate Dominum de terra: \* dracones, & omnes abyssi.

**I**gnis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: \* quæ faciunt verbum ejus.

**M**ontes, & omnes colles: \* ligna fructifera, & omnes cedri.

**B**estia, & universa pecora: \* serpentes, & volucres pennata.

**R**eges terræ, & omnes populi: \* principes, & omnes judices terræ.

**J**uvenes & virgines senes cum junioribus laudent nomen Domini: \* quia exaltatum est nomen ejus solius.

**C**onfessio ejus super coelum & terram: \* & exaltavit cornu populi sui.

**H**ymnus omnibus Sanctis ejus: \* filiis Israël populo appropinquanti sibi.



**Psalmus 149.**

**C**Antate Domino canticum novum: ✱ laus ejus  
in Ecclesia Sanctorum.

**L**ætetur Israël in eo, qui fecit eum: ✱ & filii Sion  
exultent in rege suo.

**L**audent nomen ejus in choro: ✱ in tympano,  
& psalterio psallant ei.

**Q**uia beneplacitum est Domino in populo  
suo: ✱ & exaltabit mansuetos in salutem.

**E**xultabunt Sancti in gloria: ✱ lætabuntur in  
cubilibus suis.

**E**xaltationes Dei in gutture eorum: ✱ & gladii  
ancipites in manibus eorum.

**A**d faciendam vindictam in nationibus: ✱ in-  
crepationes in populis.

**A**d alligandos reges eorum in compedibus: ✱  
& nobiles eorum in manicis ferreis.

**U**t faciant in eis iudicium conscriptum: ✱ gloria  
hæc est omnibus Sanctis ejus.

**Psalmus 150.**

**L**Audate Dominum in Sanctis ejus: ✱ laudate  
eum in firmamento virtutis ejus.

**L**audate eum in virtutibus ejus: ✱ laudate eum  
secundum multitudinem magnitudinis ejus.

**L**audate eum in sono tubæ: ✱ laudate eum in  
psalterio & cithara.



Laudate eum in tympano & choro: \* laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis benè sonantibus; laudate eum in cymbalis jubilationis: \* omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri &c.

Et repetitur Antiphona.



Antiph. Juvenes & virgines, senes cum junioribus,



laudent nomen Domini.

℣. Sinite parvulos venire ad me.

℞. Talium est enim regnum coelorum.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, sanctæ puritatis amator, qui animam hujus parvuli ad coelorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam Domine, ita nobiscum misericorditer agere, ut meritis tuæ sanctissimæ passionis, & intercessione B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum tuorum in eodem regno  
nos



nos cum omnibus Sanctis, & Electis tuis semper facias congaudere.

Deus, in cujus miseratione, animæ fidelium requiescunt, famulis, & famulabus tuis omnibus, hîc, & ubique, in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine latentur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui &c.

✠. Requiescant in pace. R. Amen.

*Aspergitur sepulchrum & circumstantes, & Pastor recedit.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

**E** piscopi à Spiritu S. positi sunt regere Ecclesiam Dei, Apostolo Actor. 20. rum Successores & ministri facti Sacramenti Ordinis, in quorum Pontificalibus, Agendisque fusiùs quidem reperiuntur, quæ ad hoc Sacramentum spectant. Cum tamen Concil. Trident. præcipiat, Sess. 23. de reform. cap. 5. ut ad minores Ordines promovendi, à Pastore, & à magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, in Ecclesia etiam publicè propositis nominibus eorum, qui promoveri ad Ordines volunt, de natalibus, ætate, moribus & vitâ diligenter inquiratur, & literæ testimoniales ipsam inquisitionem continentes ad Episcopum transmittantur, atque hoc ipsum, exceptis Regularibus, de omnibus juxta declarat. sacrae Congregat. Cardin. ad Concil. Trident. sit intelligendum. Idcirco è re visum fuit quædam ad eum finem, & ordinandorum instructionem, his quandoque opportunè à parochis communicanda, Cleri nostri ac publico bono subservientia hîc inserere, in reliquis verò, quæ de materia, forma, ministro, &c.

prior Agendorum liber complectebatur, ad Theologorum moralium libros remittere.

Q 3 DE